



AUGUSTINUS P. MAYER O.S.B.

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
S.R.E. Cardinalis et Diaconus S. Anselmi in Aventino,

Omnibus hoc Nocturnale Romanum visuris salutem dicit.



Septies in diem laudem dixi tibi et Media nocte surgebam ad confitendum tibi: his verbis e psalmo 118 desumptis sanctus Benedictus, patriarcha monachorum occidentis, in Regula sua (cap.XVI.) usum explicat perantiquum Ecclesiæ, quæ septenario sacro numero laudes Deo cotidie persolvit et etiam noctis tempore a confessione nominis ejus non cessat. Eodem modo, etiam Concilium Vaticanum II. in Constitutione „Sacrosanctum Concilium“ declarat: *Divinum officium ex antiqua traditione christiana ita est constitutum ut totus cursus diei ac noctis per laudem Dei consecretur.* (SC, nr.84)

Huic normæ obsequens, in ecclesiis præsertim Cathedralibus aliisque insignioribus templis integrum Officium Divinum secundum ritum romanum a clero persolvendum erat, et in ecclesiis quoque monasteriorum a monachis seu monialibus, secundum ordinem psalmodum a Regula Sancti Benedicti indicatum, celebrari solebat.

Etsi officium in integrum cantatum majoribus festis atque numerosorum clericorum collegiis reservatum fuisse patet, nihilominus Psalmorum, Antiphonarum atque Responsoriorum melodiarum in antiquis libris choralibus numquam defuerunt; recentioribus autem temporibus jam dudum in typis impressis non inveniebantur.

Nova hæc Nocturnalium Romani editio — quæ textus Divini Officii reproducit prout habebantur ante recentiorem liturgiæ instaurationem — nuncupari solebat, omnibus id desideratis denuo offert. Licet in paucis tantum ecclesiis antiquus ille cantandi Officii nocturni usus duret, attamen omnino præstat cantum tam venerabile oblivioni non dari, sed denuo tam studiosis artis musicæ, quam his, qui more majorum Officium Divinum persolvere cupiunt, præsto esse.

Qua de causa præsentem novam editionem læto animo saluto omnibusque ex corde gratias ago, qui laborem tam magnum coeperunt atque ad felicem exitum duxerunt.

Ex Urbe, die 18 Julii anni MMI

✠ Augustinus Cardinalis Mayer O.S.B.